



48
24
CELEBERRIMI ICTI IENENSIS,
CHRISTIANI WILDVOGELII,
COMMENTATIONES IVRIDICAE DVAE:

ALTERA:

DE

FACTO ILLICITO,
PRAEMIVM MERENTE,

AD L. I. D. DE HIS, QVAE VT INDIGN. AVF.

GERMANIS:

Von einer unerlaubten That, welche eine gute
Belohnung verdienet.

ALTERA:

DE

BONO FACTO POENAM
MERENTE,

AD §. FIN. I. DE LEG. AQVIL.

GERMANIS:

Von einer guten That, welche doch wirklich
Straffe verdienet.



IENAE,
EX OFFICINA HELLERIANA, 1754.

48

CHRISTIAN WINDVOGELII
COMMENTATIONES VINDICAE DVAE
ALTA

FACTO LUGO
PRIMUM ERUNT
AD I. W. DE HIS QVAE UT INDIKA SVA


PRIMUM ERUNT
AD I. W. DE HIS QVAE UT INDIKA SVA

PRIMUM ERUNT
AD I. W. DE HIS QVAE UT INDIKA SVA

PRIMUM ERUNT
AD I. W. DE HIS QVAE UT INDIKA SVA

PRIMUM ERUNT
AD I. W. DE HIS QVAE UT INDIKA SVA





I. N. D. N. I. G.

COMMENTATIO PRIMA,

DE

FACTO ILLICITO, PRAE-
MIUM MERENTE,

AD L. I. D. DE HIS, QVAE VI INDIGN. AVF.

Ea est actionum moralium indoles ac
natura, ut ex intentione agentium as-
stimentur, & juxta hanc vel laudem
mereantur, vel vituperium. Sicut
enim finis omnia negotia regere creditur; ita si is
legis

A. 2



legibus est conformis, actio ipsa reprobari nequit; è contrario vero, quod juri adversatur, vel nullum plane effectum gignit, vel pœnam lege statutam auctori suo infert.

Comprobatur id ipsum exemplo Davidis Regis, censum subditorum suorum agentis, qui ob id severissimam Numinis indignationem incurrebat, cum id ex mentis quadam elatione Deo invisita proficisceretur. Ezechia quoque Regis thesaurorum exteris facta ostentatio superba, in vitio ipsi ponebatur, ut in se vitio careret. Neque diversum quid jure civili prodictum est, quin potius diserte sancitum, ex animi proposito cuncta agentium facta censeri debere.

Patet id inter alia ex eo, quod Ulpianus in *l. 3. §. 2. d. injur.* asserit, injuriam in affectu facientis consistere: nec non quod Impp. in *l. 5. C. eod.* Victorino his verbis rescribunt: *Si non convicii consilio te aliquid injuriosum dixisse probare potes, fides veri à calumnia te defendit.*

Ex quo potro consequitur, unum idemque factum pro diversitate finis, ad quem tendit, alium atque alium producere effectum, adeoque illicitum quoque negotium nonnunquam præmium mereri, ita tamen, ut iudicis arbitrium non penitus exclu-

excludatur, nec ipsi prohibeatur, secundum inter-
nam aetius turpitudinem, justam eidem decernere
pœnam.

Luculentum ejus testimonium perhibet Di-
vi Severi & Antonini rescriptum, quod Marcianus
refert in *l. 1. de his, quæ ut indigni. l. 1. f. dum*, quasi
indignum carere legato seu fideicommissio volue-
runt libertum, quod ex testamento patroni reli-
ctum erat, cum patronum suum post mortem il-
lius quasi illicitæ mercis negotiatorem detulisset,
quamvis & præmium meruisset. Erat nimirum
jûre Romano prohibitum, frumentum, sal, fer-
rum, aliasque res, quibus hostium vires instrui
possent, ad illos deferre, sub gravissima capitis pœ-
na, *l. 11. pr. d. public.* & harum illicitarum mercium
persecutio etiam heredes affligebat, prout J.C. lo-
quitur in *l. 1. §. 3. d. t.* Eamque in rem certa præ-
mia constituta erant illis, qui talia crimina fisco
denuntiarent, *l. 3. §. 13. l. 25. ad SC. Syllan.* vel pro
arbitrio judicum, vel ab ipsa lege, videlicet vel di-
midia, vel quarta pars, quæ *vulgare præmium* di-
citur in *l. 13. §. 5. d. jur. fisc.* adeoque hoc præmium
omnino debebatur liberto, crimen à patrono suo
commissum magistratui deferenti.

Alit vero, quoniam id ipsum pugnabat cum animi grati officio, quod is domino suo, pro inestimabili libertatis beneficio, exhibere tenebatur, imprimis cum nec vivum Patronum de delicto quodam accusare; *l. 8. d. accusat.* imo nec famulam actionem contra illum instituere liceret. *l. 7. §. 2. d. obsequ. parent. & patr. prest.* jure meritoque Imperatores Augusti hanc liberti proterviam coercerant, indignum illum judicantes, qui ex testamento patroni sui aliquid caperet, imprimis, cum & quilibet alius, cui in testamento legatum relatum est, si is testatorem de capitali crimine accuset, licet voluntas ejus ultima in codicillis postea confectis non fuerit mutata, neque legatum ademtum, id tamen legatario non deberi, responderit Scævola in *l. pn. §. 3. d. adim. vel transf. leg. & gravis offensio ademptionem legati inducat, l. 3. §. fin. dict. titulo.*

Neque mirum cuiquam videri debet, unum & idem factum duplici jure censi, cum id ipsum personis etiam accidat, ut hæc pro diversa qualitate adjacente, diverso & inæquali modo considerentur.

Etenim & filiusfamilias, qui patri suo subiectus est, atque illius jussa expectare tenetur, si magistra

pistratum gerat, parentem, sub cuius potestate existit, cogere potest, ut hereditatem adeat & restituat, monente Ulpiano in *l. 13. §. fin. ad Scit. Trebell.* Nam, quod ad jus publicum attinet, non sequitur jus potestatis, veluti hanc rationem suppeditat Hermogenianus in *l. sequ. 14. eod.*

Simile quid Tryphoninus suggerit in *l. 22. d. bis, qua ut indign.* dum tutorem, qui pupilli sui nomine testamentum falsum vel inofficiosum dixit, sua legata non perdere, asserit, si non obtinuerit, licet alias, qui testatoris voluntatem impugnat, lucrum ex illo sperare nequeat: nam, ut idem Jctus subjicit, discreta sunt jura, quæ in eandem personam venerunt, aliud tutoris, aliud legatarii.

Idem fere inculcat Justinianus Imp. in *l. 26. C. d. admin. leg.* Et ex pari ratione Statum Imperii nostri immediatum alterius Status subditum, quin & Regem Regi subiectum esse posse, late deducit Gail. *d. arrest. cap. 6. num. 14. seqq.*

Nullum igitur dubium superest, idem obtinere in factis, ut scilicet illa modo licitis annumerentur, modo prohibitis, diversumque inde nanciscantur effectum. Confirmat id præterea notabile exemplum à Pomponio in *l. 2. §. 7. d. orig. jur.* adductum, ubi memorat, Appium Claudium, Jctum,

Jctum, Legis actiones, uti vocabantur, in formam redegit, scribam vero ejus, Gnæum Flavi-um, hunc librum surreptum populo tradidisse, atque id munus populo adeo gratum fuisse, ut Tribunus plebis fieret, & Senator & Ædilis curulis.

Est enim hoc Flavii facinus in se excusari aut laudari nequeat, cum perfidiam scribæ arguat; à populo tamen, qui illo tempore regimen tenebat, approbatum & præmio fuit condecoratum, quippe cui per hoc consulebatur, ne ob ignorantiam solemnitatum, quibus istæ legis actiones circumscriptæ erant, caperetur aut damnum incurreret.

Hæc vero atque similia examinare, & judicium de factis, quatenus laudem vel vituperium promereantur, ferre, præcipuum Jcti est officium, quippe cui jus legibus præscriptum civium actionibus applicare, & omnia, quæ easdem circumstant, curate expendere, atque hæc ratione, suum cuivis tribuere convenit.

Præstitit hoc ipsum & etiamnum in hoc instituto persistit nobilissimus & clarissimus honorum doctoralium Candidatus, ANTONIVS MATTHIAS GEORGIVS FALCKE, cujus proinde natales & studia, nec non vitam laudabiliter peractam brevissime exponi, mores academiæ ex-
poscunt

poscunt. Nascentem excepit anno **MDCXXXVII**,
die xxx. Octobris, Tangermunda, quæ urbs ad
Marchiam veterem spectans, jam aliquot ante in-
stauratam à Christo salutem seculis, à Westphali-
co Angrivariorum populo condita, appellationem
suam vel à dicta jam natione, vel à Tonagra fluvio,
cujus in Albim ad orientem ostium patet, sortita
est.

Patrem divino beneficio adhuc superstitem
colit nobilissimum consultissimumque virum
HERBOLDVM FALCKEN, potentissimi Bo-
russæ Regis atque Electoris Brandenburgici tri-
buta publica dirigentem, & memoratæ jam civi-
tatis Consulem meritiissimum; Matrem corpo-
ris & animi dotibus atque omnibus sexus sui virtu-
tibus, quoad viveret, florentissimam, **HELE-
NAM FRIESIAM**, sed in tenera adhuc Nostræ
ætate præmature nimium ipsi ereptam.

Horum mox providentia, cum in lavacro di-
vino solemniter Deo consecraretur, fidejussorum
partes tunc impleverunt illustres atque generosissi-
mi viri, **GEORGIUS DE BERCHHEIM**, poten-
tissimi Regis Borussæ à consiliis sanctoribus, &
MATTHIAS DE JAGOW, Aulosenæ heredita-
rius, nec non **ANTONIVS FERDINANDVS**
B CASPAR

CASPAR DE STECHÓW, Stechovix, Cotzēna & Vergelara prædia jure hereditario possidens, à quibus Nostro Antonij, Matthiæ, Georgiique prænomina indebantur.

Quoniam vero unicus is filius honoratissimo parenti obtigerat, propterea tanto majorem sollicitioremque hic operam dabat, quo ingenij præclari hæc soboles præceptorum domesticorum non minus, quam publicorum auspicio, veris religionis bonarumque artium elementis imbueretur. Inque patrio præsertim lyceo, viro plurimum reverendo, **LEVINO ERNESTO KRIEGERO**, temporis illius Rectori meritissimo, jamque in cœtu Christianorum Osterburgensi Diaconi partes fideliter obeunti, magno se opere obligatum fatetur: Prout intra domesticos lares, virum Archidiaconi munere in Tangermundano oppido venerandum **ANDREAM CLEFFELIVM**, nec non clarissimum præcellentissimumque virum, **JOANNEM CHRISTIANVM FVSSSELIVM**, jam Rectoris Tangermundani provinciam suo merito consecutum, Nostrique affinem conjunctissimum, traditis variarum disciplinarum sanctis, maximam à se gratiam inivisse affirmat.

Talem igitur exculti à viris exercitatissimis animi

nimi apparatus in gymnasium Brunsvicēse, quod Martinæum appellant, attulit, & amplissimi Rectoris GEBHARDI, jam in cœlum recepti, nihiloque secius Conrectoris doctissimi, adhuc superstitis, doctrinis elegantioribus atque philosophicis auxit; inque academia deinceps Julia, cujus tunc Prorectorem celeberrimus HARTIVS cum laude agebat, magis magisque in dies singulos excolivit.

Quem virtutis atque industriæ cursum in nostro similiter Athenæo, inde ab anno MDCCIV, die II. Aprilis, quo civium academicorum albo insertus est, tenuit, ubi Ipsum Jureconsulti magnifici JOANNIS BERNHARDI FRIESEN, Poese-næ hereditarii, atque Serenissimo Duci Saxo-Ilfenæensi ab aulæ & syndicii sancti consilijs, nec non Pandectarum apud nos Professoris ordinarii, Scabinatusve ac provincialis curiæ adfessoris gravissimi, velut conterranei sui magnopere honorandi, curæ ac fidei penitus ipsum committere, parens ejus carissimus animum suum induxerat.

Ne autem illotis, quod ajunt, manibus in Themidos templum irrueret, præcipue quidem laudatissimo FRIESIO, Logicæ, ac civilis & naturalis sapientiæ instituta ad prudentiam juris accom-

modantē; præterea à Philosphiæ doctoribus publicis, TREVNERO, HAMBERGERO, STRVVIO, LVNGERSHVSIO, & à philophici ordinis adscripto clarissimo, M. CHRISTIANO STOCKIO, cunctas humanæ sapientiæ ac historiæ partes interpretantibus, præparari ac præmuniri ingenium suum ad hæc sacra curavit. His auspiciis, excellentissimo atque sæpius memorato FRIESIO duce, non *civile* solummodo ac *feudale*, sed *canonicum* quoque & *publicum jus*, semel ac iterum intra velum edoctus, atque anno integro dissertationibus, ad dies Saturni singulos eodem hoc præside institutis, Nostroque nunc opponentis, modo Respondentis personam gerente, mirifice confirmatus.

Quibuscum Ordinarii nostri magnifici JO. PHILIPPI SLEVOGTII, ad *Desselium*, Exorematum canonici juris auctorem, publice commentantis, & Jurisconsulti ac Professoris excellentissimi, JO. CHRISTIANI SCHROETERI, *juris regulas* exponentis, & meas quoque Decani, in a croaterio publico *Justinianum Codicem*, in privato *Schroevenderi jus publicum* inculcantis operas, non sine luculentissimo fructu conjunxit.

Imo gallici quoque sermonis notitiam à
FRAN-

FRANCISCO ROVX, Serenissimo Vinariae
Duci à Secretis, atque publico Salanae hujus Le-
ctore, librorumque ac bibliothecae, academiam
istam ornantis cognitionem, ab amplissimo istius
Praefecto, RICHARDO, hauriendam putavit.

Quibus rebus & modestissimis Ejus preci-
bus ordo noster permotus, A. jam MDCCVIII,
die X. Martii, postquam in examinibus consuetis
eruditionem suam satis superque probaverat, Can-
didatorum albo eundem inseruit, conscendendae
etiam cathedrae facultate ipsi concessa. Sed inter-
ea temporis Berolinum vocatus, in judiciis pri-
mum inferioribus clientum causas defendit; an-
no autem MDCCX. die XX. Martii, in regio at-
que electorali veteris Marchiae tribunali, quod
Quadrimestre vocatur, mox autem in praefectura
Jerichoviensi advocati ordinarii partes, quibus
adhuc praecclare fungitur, impetrauit.

Nuper admodum in Salanam nostram re-
versus, Doctorisque ambiens gradum, ad lectio-
nem, seu vocant, cursoriam, qua *L.g. Cod. de Loc.
Cond.* interpretabitur, aditum ipsi die crastino,
hora X. ante meridiem aperire nulli dubitavimus.

Cui, ut Prorektor magnificus, Prorektor
magnificus designatus, Patres academiæ celeberrimi,
venerandi sacrorum Antistites, omnis ordinis
hospites atque juvenes ornatissimi, plus
splendoris concilient, perofficiose
& peramanter contendo.

P. P. die XXI. Januarii Anno Christi
MDCCLXIV.




48

1714, 22

COMMENTATIO ALTERA,
DE
BONO FACTO, POENAM
MERENTE,
AD S. FIN. L. DE LEG. AQUILIAE.





Qualis causa, talem esse effectum, com-
mune & tritum est Philosophorum
axioma, omnium non naturalis sal-
tem scientiæ doctorum, sed & Jure-
consultorum calculo comprobatum.
Ortum hinc vulgare proverbium traxit: *Mali
corvi, malum ovum*: & quod Horatius cecinit:
Non imbellem progenerant aquila columbam. Si-
milem ad morum disciplinam regulam hanc appli-
care licebit, quia non est dubium, quin hic quoque
vim suam exerat, dum actiones ex honestatis stu-
dio proficilentes, honestati conformes habentur;
è contrario autem fundamento hoc destitutæ, vitiis
C ipfis

ipsis annumerentur, etiam si speciem quandam justitiam præ se ferant.

Pertinet huc illud, quod vulgo dicitur, ad animum in quovis negotio civili esse respiciendum; qui si probus fuerit & ad justitiam æquive normam compositus, actionem producit laude & præmio dignam; si vero mala intentione regatur, nil nisi vituperium & pœnam auctori suo minetur.

Neque tamen ex sola intentione & proposito hoc ipsum æstimare licet; verum etiam, si culpa saltem agentis accedat, idem judicium est ferendum: cum scilicet prudentis sit, exitum cujusvis rei sollicitè perpendere, & ne ulli hominum injuria inferatur, omni modo cavere. Accidit hinc, ut quandoque factum, si indolem ejus spectes, permissum & regulis honestorum morum conveniens, pro illicito tamen reputetur, adeoque pœna sit afficiendum, atque hac ratione non tam facinus ipsum, quam imprudentia potius agentis veniat coercenda.

Exemplum ejus nobis sistit sacratissimus Imperator Justinianus, quando in *§. fin. J. de Lege Aquil.* eum, qui servum alienum compeditum, misericordia ductus, solvit, ut aufugeret, ob id actione in factum domino servi teneri, affirmat.

Id

Id quod jam ante Ulpianus in *l. 7. §. 7. d. doli mal.* docuit, nec non ad eum extendit, qui humanitate permotus, fugitivum servum recepit, veluti apparet ex *l. 5. pr. d. serv. fugit.* Etiam si enim misericordia virtutibus præstantissimis annumeratur, ac talis est, qua Deo reddimur similes, quippe qui assidue nostrarum miseretur afflictionum acque ærumnarum, ut hinc recte Hieronymus dixerit: *qui clementiam non habet, nec indutus est viscera misericordie & lacrymarum, quamvis spiritualis sit, non adimplet legem Christi, can. 22. dist. 86.*

Attamen, qui intempestive illam exercet, perinde est in reatu, acis, qui culpa sua alteri nocet. Merito igitur laudandum est antea laudatæ Ulpiani effatum, quod habetur in *l. 7. pr. depos. ubi ait: Si hominem apud se depositum, ut questio de illo haberetur, ac proinde vinctum, vel ad malam mansionem extensum, sequester solverit, misericordia ductus, dolo proximum esse, quia cum sciret, cui rei pararetur, intempestive misericordiam exercuit, cum posset non suscipere talem causam, quam decipere.*

Ob quam porro rationem Callistratus in *l. 14. §. 2. d. custod. & exhib. reor.* scribit: *Si miseratione custodiam quis miserit, (è custodia dimiserit)*

militiam mutat, (i. e. exaudtoratur) cum si fraudulenter fuerit versatus, capite puniatur. Et hoc quidem charitatis opus, quando in publicæ rei aut civium detrimentum vergit, usque eo illicitum esse censetur, ut summis etiam magistratibus vitio vertatur, si illud committant.

Hinc Princeps delinquentibus pœnæ veniam tribuens, æque peccare dicitur, ac is, qui in fontem plectit. *Quæ enim ista est bonitas, inquit Origenes, quæ ista misericordia? uni parcere, & omnes in discrimen adducere?* veluti legitur in *can. 17. distinct. 45.* Idem observare decet, circa elemosinarum erogationem, quæ, licet in bonis operibus habeatur, & ab ipso Servatore nostro approbata credatur; si tamen talia benemerita inertibus, & paupertatem simulantibus, aut inutilibus terræ ponderibus tribuantur, reprehensionem hæc, falso sic dicta, liberalitas merito incurrit. Ejusmodi enim mendicantes non civilia tantum jura, *l. un. C. de mendic. valid.* sed & ipsum præceptum divinum, *Deut. XV.* à republica arceri & excludi jubet.

Recte proinde is, qui justitiæ litat, & de civium actionibus judicium ferre debet, non animum saltem & intentionem agentis, sed & omnia illa, quæ factum circumstant, curata mentis acie per-



perpendit, ne specie honesti fallatur, nec opus, vel-
ut in se bonum laudet, quod vituperio dignum est,
nec illud tanquam illicitum damnet, quod bona
intentione est susceptum.

Monstrat id ipsum Jurisprudencia nostra,
quippe quæ non legum modo sancita exhibet, sed
& rationem illa actionibus hominum moralibus
applicandi nos edocet, ut sic æquum ab iniquo, li-
citur ac illicito discerni queat.

In exitum ergo hoc studium indefessa cura
hactenus incubuit, qui crastina luce in publicum
produceretur, præclare doctus & nobilissimus lega-
lis scientiæ candidatus CHRISTOPHORVS
GVILIELMVS DIETERICVS, summis ob id
Docturæ honoribus ac præmiis pro merito conde-
corandus. Quæ in honestis natalibus felicitas po-
nitur, ortui ejus tribuenda est, quem anno MDC-
LXXXIX. die VI. Junii, *Conradisreuthi*, quod
prope Curia urbem in Vaniscia jacet, non sine pa-
rentum gaudio & maxima expectatione sortieba-
tur.

Pater, vir admodum reverendus & clarissi-
mus, M. GEORGIVS GVILIELMVS DIE-
TERICVS, in Christianorum sanctissimo cœtu,
quæ *Endmansbergæ* ad urbem *Barythum* coire

confevit, sacerdotis officio pari solertia ac religione defungitur. Mater SIBYLLA MAGDALENA, ex perantiqua LESNERORVM genere orta, Baiersdorffii in Culmbaci Brandenburgici terris, summum sacrorum praesulem, praclarisque meritis inter suos spectabilem, parentem colebat.

Postquam prima virtutum pietatisque lineamenta Ipsi ejus parentes laudatissimi duxerant, anno aetatis duodecimo in Monachomontanum lyceum dimittebatur, Rectoris ibidem clarissimi, cui VNGERI est nomen, dexteritati ac fidei, trium intervallo annorum, & quod excurrit, eo rerum suarum successu creditus, ut litterarum optimarumque artium cultum capefferet.

Ex quo postea loco, optima praceptorum pace digressus, & inter illustres Baruthinorum collegii in Franconia, quod a gloriosissimo CHRISTIANO ERNESTO fundatum est, cives receptus, sicut in aliis studiorum generibus, sic in philotopia potissimum, operam indefessam posuit. Noster, variarumque lingvarum speciminibus annos quatuor ibi peractos, diligenter distinxit, ac Reip. utriusque Patribus perorando non minus, quam disputando, se commendavit. Quam feliciter enim inter alia *de laesa Majestatis crimine*, cum
 vale

vale hic ultimum diceret, & quomodo dissertationem laudatam proprio Marte concinnaverit, carmen à plurimum reverendo præside, JOANNE MICHAELE ELLRODIO, concionatore tunc aulico ac Professore philosopho, magnam eruditionis laudem adepto, jam vero inter beatos triumphante, fausti ominis causa additum, abunde restatur. In sermone præterea gallico tantum jam poterat Dietericus, ut præcepta illius perspicua commilitonum suorum tunc animis instillaret, eoque instituto libellum idiomatis hujus elementa complexum in publicam eruditorum lucem emitteret.

Indè *Lipsiam*, omnis doctrinæ ac elegantix matrem adiit, rerum sublimiorum studia, ingenti ardore atque ordine accurato, exorsus. Nam in humanæ sapientiæ disciplinis, disputandique artificii, non modo clarissimum Magistrum MVL-
LERVM ducem secutus est; sed disputandi etiam exercitia, maxime reverendi Doctoris SCHMIDII auspicio, in philosophiæ partes quascunque habita, utiliter frequentavit. Regiam vero, & quam primario semper colebat, justæ ac æquiciëntiam, ex Doctorum insignium PHILIPPI ac TITII ore hauriendam sibi existimavit.

Abso.

Absoluto igitur post triennium fere integrum studiorum curriculo, Lipsia *Altenburgum* se contulit, exercitiorumque forensium artem juxta & usum sibi paravit; donec anno MDCC XII, mense Augusto, in patriam dulcissimam redux, exploratis antea suis profectibus, causarum in judiciis orandarum licentiam, advocati que in dicafterio aulico munus consequeretur; cujus partibus, non sine laudum suarum accessionibus, in hunc diem usque responderet. Jure igitur suo inter disciplinae legitima Candidatos referri petiit, comprobatoque in examinibus studiorum suorum instructu eximio, in publicam Jureconsultorum cathedram, die crastino, horis consuetis, produceretur, lectionem, quam vocant, cursoriam in *Legem XVII. C. de SS. Eccles.* de more recitaturus.

Quem, ut Pro-Rector magnificus, Pro-Rector magnificus designatus, Proceres aulae & academiae excellentissimi, venerandi item sacrorum antistites, hospitesque omnium ordinum ornatissimi, hujus praesertim Universitatis cives lectissimi, attente & benevole audiant, Facultatis pariter meae, & Candidati clarissimi nomine, perofficose ac humaniter à me rogantur. P.P. sub sigillo Facultatis, die 28. Jan. A. 1714.

SOLI DEO GLORIA.






ULB Halle
005 121 760

3







48
24

CELEBERRIMI ICTI IENENSIS,
CHRISTIANI WILDVOGELII,
COMMENTATIONES IVRIDICAE DVAE:

ALTERA:

DE
FACTO ILLICITO,
PRAEMIVM MERENTE,

AD L. I. D. DE HIS, QVAE VT INDIGN. AVF.

GERMANIS:

Von einer unerlaubten That, welche eine gute
Belohnung verdienet.

ALTERA:

DE
BONO FACTO POENAM
MERENTE,

AD §. FIN. I. DE LEG. AQVIL.

GERMANIS:

Von einer guten That, welche doch wirklich
Straffe verdienet.



I E N A E,

EX OFFICINA HELLERIANA, 1754.